Qk. 244. 20
Zb 3786

Amicæ Congratulationes,

VIRO-IUVENI,

Cùm humanitate, tùm eruditione conſpicuo

X 2045062

# M. SIMONI GÖTZIO CRIMMICENSI, SCHOLÆ

Schönburgiacæ, quæ eſt Waldenburgi

RECTORI ſolertiſs.

SPONSO

&

Lectiſſimæ, pudiciſſimæq; VIRGINI

# ELISABETHÆ,

REVERENDI ATQ; DOCTISS: VIRI

Dn. ANDREÆ RICHARDI Paſtoris Eccleſiæ

Tettavienſis vigilantiſſimi, dilectæ filiæ

SPONSAE,

*Nuptiale ſacrum ad diem VII. Menſis Octobris* CRIMMITI

*cum bono Deo celebraturis,*

à

Socero, Favitoribus, Amicis & Collegis animo &

ſtylo ut lubenti ita ſincero oblatæ.

ANNO

*SanCte DeVs SponſIs MVnera faVſta refer.*

ALTENBURGI IN MISNIA,

ANNO M DC XVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-79720-p0001-8

TAndem connubium Sophies decus appetis? olim
Ad Parnaſſiacum fax mihi grata jugum.
Quæ bona vota feram? placidos dum calleo mores,
Quos Natura dedit, Phœbus & auxit ovans:
Optatum thalamum, & fauſtos tibi tot precor annos,
Ex te quot didici verba Latina loqui.

lineæ Altenburgensis
Cum P. Pbus Saxoniæ ſtudiorum gratiâ Tubingam jam profecturus
*Georgius-Hauboldus à Thumshirn N. in Ponitz, hæc olim Præceptori ſuo reliquit.*

## ALIVD.

*LAude vehi parvâ non, GÖTZI docte, mereris*
*Quod iungis ſociam ſpontè lubensq́ tibi.*
*Da nunc te facilem, DEUS optime maxime, patrem*
*Aſpiraq́ novis, quo potes ore, toris.*
*Vivite concordes ambo: lectiſsima lecti*
*Pignora ferte ſolo; pignora ferte Polo.*

M. Iacobus Reiſingius, Paſtor
& Superint. VValdenburg.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

## SIMSVM & ☽
### ordine retrogrado.

SoCer sVo Genero,
FortVnante Deo,
Benè oMInatVr.

☽ *HYMENÆE tibi, noctu rutilantibus aſtris,*
*Omine felici mittat ab axe jubar.*
☿ *ſplendere ſuo bona nuncia tædis*
*Apportet, caſto quas* ♀ *igne regat.*
☉ *faveat: ſileat* ♂ *:* ♃ *adſit: & abſit*
*Nuptis* ♄ *falcifer ipſe novis.*

### ALIVD.
### Ordine legitimo.

♄ *ſiccâ cum frigiditate Maritis*
*Nil damni videat ferre nihilq́; mali.*
♃ *addat opem: modò* ♂ *ſit pacis amator:*
*Vnanimem foveat* ☉ *Neonymphe torum.*
*Sponſa* ♀ *ſpondæ ſocialis* ☿ *q́;*
*Dote beent TE itidem* ☽, datore DEO.

### ALIVD.
### Ordine quotidiano.

☉ *thalamo proſper, diſpulſa nube, coruſca:*
☽ *ſalutiferâ luce repentè redi.*
♂ *requiem pro bile refer pacemq́; iugalem:*
☿ *læto hunc reddat honore diem.*
♃ *atq́;* ♀ *dextrè ſplendeſcite SPONSIS,*
♄ *faciat quod quoq́;*, dante DEO.

A. R.
P. T.

## ALIVD.

SPonse, tibi, tua cum teneras ſolertia mentes
Studiis formârit, Ecce, Minerval habes.
Scilicet egregiam Sponſam, cui Christvs Iesus
Nomina de requie fecit in amne ſacro.
Hæc tuo amore pio digna eſt; vidi ipſius omnes
Virtutes, quibus eſt accumulata, bonas.
Præcipua eſt inter pietatis amica voluptas,
Ardor & é ſacris plurima ſcire libris.
Iudice me, hæc poterit tua docta Erotemata, Iudex,
Scripta ſcholis linguâ non titubante dare.
Inſuper accedunt morum ſpecioſa venuſtas,
Cumq; pudore pio ſedula cura domus.
Adde quod & Phrygium contexere ſtamina in orbem
Nôrit, in hæc tuum opus, *Dorcas*, id eſſe putem.
Hæc tua, quas reliquas geſtat ſub pectore, prudens
Explorare ſatis Gymnaſiarcha potes.
Si non ſufficiet lux clara notata labori
Gymnico, id accepto tempore noctis age.
Hac non ſolus eris, te Iuno, Deusq; juvabunt,
Vt videas, virtus quanta ſit ampla tuæ.
Perge modò, ad votum felicia quæq; per annos
Longé pacificos comprecor ipſe, Vale.

*M. Henricus* Engelman *Montis*
*Petrin-Electoral: Eccleſiaſtes,*
*honoris & affinitatis ergò ſ.*

## ALIVD.

## AD Dn. ANDREAM RICHARDVM
Sponſæ patrem.

| | |
|---|---|
| *REverende, amice cãdide,* | *Dum nos parandis nuptijs* |
| *Dilecte* Musis *& Deo,* | *Gnatæ meæ* Christinulæ, |

*Generiq;*

*Generiq́; Prösseli mei,*
*Sumus occupati plurimum,*
*En literæ veſtræ advolant,*
*Thalaſſionem quæ petunt*
*Tædis Magiſtri Götzii,*
*Gnatæ & tuæ Richardiae*
*Elisabethae virginis.*
*Thalaſſio vobis foret*
*Sat pòl venuſtus, & procax,*
*Si non nimis tempus breve.*
*Simus tamen ne aſymboli,*
*Pia vota veſtris iungimus:*
*Deus ipſe, qui connubij*
*Servator eſt autor ſimul,*
*Sponſos Beet, Foecunditet,*
*Vt annuatim pullulet*
*Caſtus Torus Simonulis*
*Blandiſq́; Elisabethulis;*
*Avus vocetur & Socer,*
*Pater vocetur & Gener.*
*Quod faxit æternus pater,*
*In quo valete perpetim.*

Ex Ilfeldâ Hercynicâ ὡς τάχιστα transmittit Tettaviam

M. Iohannes Caius P. C. Cænobij & Scholæ Antiſtes.

## ALIVD.

### Ad Dn. Socerumq́; Generumq́;.

TAedas ecce meas gripho, Reverende Richarde,
Ornàſti; pro quo gratia culta redit.
Ecce tui Generi tædas vice ritè rependo
Alternâ; dum ſic mutuus accit amor.
Gaudia ſunt tria, quæ, Götzi, præclare Magiſter, “
Exſuperant mundi gaudia cuncta vagi. “
Hæc ego dixiſſem, niſi tu cum *Laude præeſſes *Liberi.
Perplexis griphis, ut documenta dares. Amici.
Sic eſt dulce mori, ſic dulce eſt vivere vitam, Vxor.
Sic ſunt cuncta domi Gaudia, cuncta foris: “
Si conjunx pia, nec non ſpes de prole parentis, “
Candor amicitiæ Gaudia cuncta dabunt.

Hæc Sponsis ex Corde Tibiq; Mihiq; futura
Gaudia vera precor, cæpta ſecunda ſient.

*M. Michaël Proſſelius. P C. Schola Ilfeldenſis Pro-Rector, Sponſus.*

## A L I V D.

COnjugium humanæ verè eſt Academia vitæ,
Quæ diſcenda, pios multa docere poteſt.
Quare (Academias quamvis luſtraveris ambas
Magnus quas ſumptu perpete Saxo fovet)
Hanc etiam, Götzi, tua mens inviſere geſtit,
Diſcere & occulti myſtica ſcita tori.
I pede felici myſteria magna docendus,
Quæ te non Phylire Leucoris aut docuit.
Illa equidem ſtricto pertexere carmine vellem,
Nî vetet officij cura laborq́; domus.
Voto igitur concludam, quo contentus abibis,
Ibis & ad nuptæ pulpita pulpa tuæ.
His ſuper ut quinquaginta feliciter annos
Ritè profeſſorem, non malè fultus, agas.
Totq́; tui ſtudij mundo monumenta relinquas,
In ſe quot numero nomen Elisa tenet.
Sic ego jam voveo, veſtras ſi videro tædas,
Quæ voveam vobis plurima forſan erunt.

*M. Caſpar Höffler. P. L Sponſi agnatus.*

*SAlve, Gotziade, recens Marite,*
*Et nomen quoq́; Seduli Magiſtri,*
*Salve plus ter & ampliùs, nec antè*
*Vſurpate licèt meis ocellis:)*

*Salve,*

*Salve, dico, novitioq; lætus*
*Auſo macte! Tibi moleſtiorum,*
*Quos Ludus parit, occupationum*
*Turbas carnifices ſuäviore*
*Coniux molliat allocutione,*
*Nec non divite recreatione*
*AEgram ſuſcitet erigatq; mentem!*
*Tu Rector maneas Scholaſticorum;*
*RECTRIX eſto ſed hac Domeſticorum.*
*Partes quisq; ſuas domi forisq;*
*Lætam ducat ad exſecutionem.*
*Sic vos Coniugij beatus autor*
*Quovis munere ſoſpitabit, imò*
*Primo tempore vos reſeminare*
*Ut poßitis, & hinc Nepotulorum*
*Cætûs cernere mille, largietur.*

Αὐτοσχεδίως accineb.

M. Ioſephus Clauderus P. L.
Scholæ Altenb. Rector.

A L I U D.

## ELISABETHA REICHARDTIN

per anagrammatiſmum.

EN ARRA: Lieb hatt ſie dich.

ASpice jam, GÖTZI, ſpeculum pietatis ELISAM,
EN Lieb hatt ſie dich/ quæ foret ARRA tua.
Si quid in hocce ſolo dulce eſt, res dulcis amari eſt,
EN Lieb hatt ſie dich: merx erit ARRA tibi.

Si

Si quid in æde viri recreat Cor, nil niſi amari eſt,
EN Lieb hatt ſie dich: merx erit ARRA domo.
Si quid & in lecto duo corcula jungit, amari eſt,
EN Lieb hatt ſie dich: merx erit ARRA toro.
Ergo quid melius, quid poſſet majus apiſci,
Quando hæc ſponſa datur merx pretioſa tibi.
EN Lieb hatt ſie dich: ARRA eſt merx: Inſuper hei cur
Excipere hanc tardas feruido amore TUAM?
Ah lieb hab ſie dich/ ſupereſt dum flammula Cordis;
Cordibus ex binis nil niſi ſpiret amor.
Hæc ut vota ſuum pro voto reddita finem
Obtineant FLATU perficiam Ipſe ſacro.
Hinc creſcant multæ è lecto ſcintillulæ amoris,
Quæ niteantq; Solo, quæ niteantq; POLO.

*M. Martinus* Sallfeldt *Paſtor in* Croſigk *honoris & gratulationis ergò f.*

ALIVD.

*Codice Tyronum quod tradidit AElius olim,*
*Nunc Exemplum eius ſecula noſtra tenent.*
*Nam fœdus ſpondent SIMON ſociale Magiſter*
*Nataq; ſub Muſis ELISABETHA pijs:*
*Declinare volunt caſtum thalamum vice ſcamni,*
*Id quod nec factum pagina ſacra vetat.*
*Teſtibus & coram multis pro more Sacerdos*
*Perpetuum felix pectore & ore refert.*
*O ſi SPONSA ſuos ferret fructûs ſpeciesq;*
*Vivas, quadraret, quod docet ille, magis.*

M. Iohannes Panſa Paſtor
in inferiori Wiera.

ALI-

## ALIVD.

ORnarem, NEONYMPHE, meis tua gaudia Metris,
Quando Conjugij fœdera ſancta ſubis.
Verùm qui poſſum Carmen cantare ſuâve,
Quem premit adverſæ conditionis onus?
Defuncta ex parte eſt ſoboles, ex parte laborat,
Conjux afflicta eſt, quid modò mæſtus agam?
Ne tamen omnino taceam, pro more, & amore
In te, quæ poſſum, paucula vota feram.
Vive diu felix cum *Sponſa*, *Sponſe* Magiſter,
Dulcia det videas pignora multa DEUS.
Vt poſt hanc vivas vitam cum prole, Maritâ
Credulus æternam, pectore, amice, precor.

*M. Leonhardus* Schneier *H. F. Paſtor animarum in Schonberg.*

## ALIVD.

*Coniugium Crux perpetua eſt, gemitusq́ perennis;*
*Amore corda ſi carent reciproco.*
*Coniugium Lux perpetua eſt, riſusq́ perennis,*
*Amore corda ſi calent reciproco.*
*Rectè igitur ſocias talem tibi, SPONSE, Maritam,*
*Sincero amore te vnicum quæ deperit.*
*Rectè etiam nubis tali ELISABETHA, Marito,*
*Ardore amoris vritur qui mutuo.*
*Iungite concordes fauſto ſub ſidere dextras,*
*Et mutuis vos vsq́ amate cordibus.*
*Sic erit, in riſum vt gemitus vertatur, eritq́,*
*Vt LVX Crucis ſplendeſcat in caligine.*

M. Adamus Pfeiffer/paſtor
in Ponitz.

## ALIVD.

INtereà tu *Sponſe* tuam complectere *Sponſam*,
Ac age Phœnicis, Neſtoreosq; dies.
Et regat aſſiduè ſanctus tua pectora Flatus,
Vt poſſis ſummum concelebrare DEUM.
Dilige *Sponſa* tuum ſedato pectore *Sponſum*,
Mathuſalæ ſupera ſecula longa ſenis.
Hæc tibi *Sponſe* precor, precor hæc tibi *Sponſa* decora,
Det DEus optatis, det meliora bonis.

*Michael Gegenfeindt Paſtor in Giba.*

## ALIVD.

*IAm NEONYMPHE, tuam venientem hanc excipe SPONSAM,*
*Quæ tibi quotidiè gaudia mille dabit.*
*Rebus erit ſocia hæc tibi dulce levamen in arctis,*
*Adverſa quâ cum gaudia ſortis agas.*
*Vnica cumprimis ſit mens, far Larq; ſit vnus:*
*Vnus amor vobis, vna ſit atq; fides.*
*Vivite felices lecto concorde: peractis*
*Menſibus vt denis fiat vterq; parens.*

Daniel Conradi Scholæ
VValdenb. Cantor.

*QVod poſt octo dies mihi fauſta, quot oſcula poſco:*
*Tot, Collega, tibi fauſta, tot oſcla precor.*
*ANNA mihi, ſed ELISA tibi ferat oſcula; fauſta*
*Mî, Tibi; Eliſæ, Annæ, qui dedit omne, dabit.*
*ANNA mihi Danielem, ſed Tibi Eliſa Simonem,*
*Pignora feſtivi ſiſtat amica thori.*

*Cui*

*Cui formanda alacri eſt Proles aliena labore,*
*Ah cur non propriam formet & ille ſibi?*

Daniel Hauenſchilt Scholæ
patriæ Collega.

OPtaſti Sponſam, quæ ſit pia, quæq; pudica,
Atq; polita ſimul: quam cupis, ecce capis.
Ergo age Sponſe tuam Sponſam complectere amore,
Et dic: præ reliquis, tu mihi ſola places.
Gratulor ex animo, creſcat ſperata voluptas,
Gaudia & hæc vobis ſint diuturna precor.
Vivite Neſtoream, junctiſſima corda, ſenectam,
Quid multis? Vobis det bona cuncta Devs.

*Auguſtus* Engelman. *Studioſus*
*Lipſienſis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-79720-p0011-3

Kb 3786 e

# ΕΥΧΗ ΤΟΥ ΓΑΜ-ΒΡΟΥ.

Χαίρω νῦν ἄνδρες, δίδοται μεγάλοιο θεοῖο
Πότνια μοὶ γαμβρῷ παρθενικὴ δίδοται.
Χαίρω νῦν ἄνδρες, χαίρω νῦν μοῦ ἐνὶ θυμῷ
Μοὶ δίδοται νύμφη πιστὸν ἔχουσα νόον.
ὦ θεὲ παντόκρατορ διάγης ἡμᾶς τε φυλάττης
ἡμᾶς σωτῆρες εὔχομαι εἶναι ἀεί.
ὦ θεὲ σὺ πρῶτόν τε μέσον καὶ ὕστατον αἰεὶ
Μὲν διάγεις ἡμῖν, εὐτυχίαν δίδοται.

*M. Simon Götzius, Sch. VValden-burg. RECTOR, iam SPONSVS.*

διαλογισμὸς

Inter S. & G.

S. *Cur poſt principium, GÖTZI, tua Graia reponis?*
G. *Vt citius SPONSAE primus adeſſe queam.*
S. *Sis primus, maneasq́; TVAE poſtremus ELISAE.*
G. *Primum, poſtremum vota ſecunda beent.*

1007
M.C.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-79720-p0012-9

QK.244.20

Amicæ Congra

VIRO-IV

Cùm humanitate, tùm er

M. SIMONI

CRIMMICENS

Schönburgiacæ, quæ

RECTORI

SPONS

&

Lectiſſimæ, pudiciſſi

ELISAB

REVERENDI ATQ;

Dn. ANDREÆ RICHAR

Tettavienſis vigilantiſſ

SPONS

*Nuptiale ſacrum ad diem VII. M*

*cum bono Deo cel*

à

Socero, Favitoribus, Amicis

ſtylo vt lubenti ita ſi

ANNO

*SanCte DeVs SponsIs M*

ALTENBURGI I

ANNO M D

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-79720-p0013-5